

H. Sax. B
36

Ge H. Jappelax. Lin. Ernst

LESSUS
super
Obitum & abitum
DESIDERATISSIMI PATRIÆ PATRIS
Quondam
SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI
DN. FRIDERICI
VVLHELMI, II.
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIAE
AC MONTIUM: LANDGRAFII THURINGIÆ, MAR-
CHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS AC COMITIS HEN-
NEBERGIAE, COMITIS MARCÆ ET RAVENSBERGI
DYNASTÆ in Ravenstein/rc.
PRINCIPIS AC DOMINI
Ah! olim nostri, Clementissimi,
QVI
die 22. April. non uni Regioni lamentabili, Anno 1669.
ex morte præmaturâ laudatissimæ Principis adhuc
luctuoso
ALTBURGI
Horâ sextâ & dimidiâ septimâ
antemeridianâ
COMMUNE SUBDITORUM DESIDERIUM
Mortem cum vitâ commutavit
CONSCRIPTUS
a
M. CHRISTOPH. Kœpfern/ Diac. Meinung.
&
Subdito mœstissimo.
Habitus in Literatorum Confessu Meinungæ
Die ab exequiali proximo
A N N O M D C L X I X.



Ex-

579.d. 749.p.

Expectatissimo PRINCIPI

Relicto unico

Ut Nominis ac Virtutum; sic paternarum

Regionum Hæredi,

Celsissimæ Pro sapiæ stirpi ac fundamento,

Miserorum Subditorum gaudio,

Orbatorum Ducatum & Provinciarum,

penes DEUM, solatio,

Illusterrimo, Celsissimoq; Principi ac Domino,

DN. FRIDERICO
VVILHELMO,

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Land-
grafio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comit Prin-
cipali Dignitate aucto Hennebergiæ, Caniti
Marcæ & Ravensbergi, Domino
in Ravenstein.


Domino suo clementissimo,

In humilimæ subjectionis signum

hoc inscribit

Devotissimus Celsissimo NOMINI
Subditus

M. CHRISTOPH. REYSER.



Cum Deo, lugentium efficacissimo solatio.

NOTA EST, AUDITORES
Nobilissimi, Vosqve cæteri o-
mnium ordinum spectatissi-
mi, [ignoscetis, si in hoc dolo-
re maximo prolixioribus titu-
lis parcam:] nota est, inquam,
Davidis, inopinum Abneri obitum acerbè
deplorantis, vox mœstissima, qvâ profusissi-
mis lacrymis intercedentibus, affectum si-
milem in totâ adstantium catervâ ciere cupi-
ebat, *An nescitis, exclamabat, quod Princeps hodie*
& magnus in Israel ceciderit? Non aliter ego pul-
latam assidentium multitudinem profundè
gemens acclamo: *An nescitis, quod Princeps*
verè Princeps & magnus Serenissimus Dominus,
Dn. FRIDERICUS WILHELMUS,
qvondam Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac
Montium, Landgrafius Thuringiæ, Marchio
Misniæ, Princeps ac Comes hujus nostræ
Hennebergiæ, Comes Marcæ & Ravens-
bergi, Dominus in Ravenstein / PRINCEPS ac
Dominus Clementissimus ah! olim noster,
cecidet? Heu! heu! nimis benè, cur non
dico malè, nosse didicimus? Hinc tristes no-
stræ omnium facies, hinc madentes lacry-

A 2. 11. 1619 mis

mis oculi, hinc consternati dolore animi,
 hinc planctus, suspiria & gemitus ; hinc u-
 na omnium vox est : *O si viveret, viveret Dux*
FRIDERICUS WILHELMUS senior, commune
 populi gaudium, exoptata subditorum re-
 quies, uno verbo, **PATER DESIDERATISSIMUS!**
 Onos miseros pupillos sine Patre, oviculas
 sine proprio Pastore, membra sine capite !
 Jam lugubrem Davidis querimoniam cuili-
 bet nostrum ingemiscere necessum erit : *Pa-*
ter meus & mater mea dereliquerunt me. Plora **Al-**
tenburgum, qvod Tuum Protectorem; Plan-
 ge **Coburgum**, qvod Tuum Ducem ; Ejula **Hen-**
nebergia & tu præ cæteris gratiosissimo Tuo
DOMINO dilecta Meinunga, qvæ Tuum PA-
 TREM amisisti. O qvam impensè beatissi-
 mus Princeps, dum vixit, in animo habuit,,
 Tehâcæstate invisere & suæ gratiæ radiis il-
 luminare ! Qvam sæpe conceptis votis expe-
 tiit, ut, si supremorum omnium Moderato-
 ri liberet, sibi liceret Tibi proprius adesse & in-
 tra Tuamœnia ad tempus, ô gratam sedem !
 figere. Nec ingrata fuisti, tristis nunc et mi-
 sella **Meinunga**, nec tarda ad hanc oblatam
 gratiam : Templum, Curia & tota plausit.
 Civitas : Arx ipsa insolitam qvandam præ se
 ferre visa est lætitiam, dum aspectu veteri &
 tenebricoso, serenum sui Principis vultum.
 noluit lædere ; sed aliam formam lætabunda
 properavit induere. Verùm

Verùm proh infandam conqverendi
 materiam! Vix è suo pulvere qvodammodo
 surrexit, dum novo tristitiæ cinere obruitur:
 dum fama increbescit undiq;: *Lethaliter agro-*
tat noster Dominus: dum tandem infelix SIBI &
 Suis & nobis omnibus mortis nuncius, Ge-
 nerosus Dominus à Rorbiꝝ / qui atrato habitu
 h̄ic præsens est, summo diluculo Dominicæ
 Misericordias Domini: (Miserere Tui populi,
 domine!) fugientibus eqvis huc advolat,
 cum gemitu, *In vivis fuit nostra spes, nostrum gau-*
dium, noster Princeps; Vidisses eo die ipsum so-
 lem nobiscum lugere & fulgidam radiis fa-
 ciem densissimæ nebulae peplo involvere:
 Audisses templum, domos, plateas, omnia
 threnis personare: Sensisses alias malorum
 non insuetos animos ad hanc cladem palle-
 scentes obstupecere. Prophetæ divinissi-
 mo Ezechieli, in singulari visione libellus in-
 volutus aliquando manu est porrectus, qui
 intus & extus meris lamentationibus ah!
 ah! vœ! vœ! conscriptus erat. Huic ego non
 immerito libellum complicatum, sive literas
 publici luctus indices, è venerando Consi-
 storio prædictâ Dominicâ ad nos transmis-
 fas comparaverim, quæ præter ah! & vœ!
 & præter acerbissimæ mortis ac inde conse-
 quentis maximi mœroris denunciationem,
 nihil continebant. *Qvibus nos, miseriam*

A 3

no-

nostram paulò accuratiùs expendentes, Væ nostrum fibritiùs einissum conjungimus, clamantes: *Cecidit corona nostri capitis, vae nobis, quod peccavimus!* Et ne qvis in hujus laudatissimi Principis sit territorio, qvi communis hujus doloris se expertem esse, sibi persvadeat; Agendum, in hoc funebri *Panegyrico* pertractabimus, qvis? & qvantus & qvām magnus & laudabilis Dux ceciderit? Et qvām amplius qvamq; latus qviritandi campus se hoc ipso nobis aperuerit? idq; præviis Prophetæ Zachariæ, verbis ex undecimo sui libri capite desumptis, præstabimus, cum inquit: **ULU LA ABIES, QVIA CEDRUS CECIDIT.** Digna certè tanti Herois memoria, qvæ semipiternæ recordationis Cedro inscribatur.

Et si desiderio cordis vis ac potestas oris responderet; votorum meorum summa eō tenderet, ut mihi Demosthenis vel Ciceronis lingvâ uti, & tantum *Principem* promeritis efferre concederetur. Sed isthac voti magis est, qvām meæ copiæ. Optare quidem in prono apertoq; omnibus est, præstare hi tantummodo possunt, qvi ab ineunte ætate Arti oratoriæ dederunt operam. Qyanqvam & pius existimari soleat, qvi qvatum valuit, præsttit.

Poteram qvidem sublevari isto onere; Sed promissa mea die nostri Ducis *Genethlia-*

co hâc in cathedrâ facta, insuper & beneficia
qvâm plurima, ex Illustri Benignitate mihi
gratiosissimè exhibita, me commoverunt, vi-
venti cùm neqveam, mortuo sua justa, dum-
modo justè qvirem, solvere. Jam vos, mei
Auditores, rogarem, ut ad exigui temporis
spatium benignas præbere aures dignemini,
nî scirem, neminem vestrûm esse tam so-
cordem, qvin ad oculissimi Principis men-
tionem, religione ductus, suâ sponte id, qvòd
aliàs precibus impetrari opus est, effectum
sit daturus. Ergo implorato DEI O.M.
auxilio, illud, cuius gratiâ convenimus, nunc
sine ambagibus aggrediemur.

Et si ante omnia Prophetæ allegatæ ver-
ba cupiamus animo imbibere, illud præ reli-
qvis notandum erit, qvòd sub iis teterima &
longè deploranda pulcherrimi Templi &
Regni Judæorum *παναλεπίδια*, excisio atqve to-
tal is eversio haut obscurè delineetur, ubi
per Cedrum, Reges & Primores populi; per Abietem
verò, qvæ arbor & præstantiâ & rarâ celsitu-
dine, Magnificæ Cedro multis modis sub-
jacet, inferiores quosvis indigitari certum
est. Excisis autem Cedris ululare abietes
jubentur ideo, qvod exinde horribiliorem
sibi imminere tempestatem videant. Quid
enim putatis esse animi reliqvis membris, de
capite ubi actum est? Salutis qvid restare
militi-

80 10(8) 80 10

militibus, cum Dux eorum inter vivos esse
desiit? Sic etiam quid subditis, si Princeps
bonus, imò optimus, abiit? Quid tandem ex-
pectandum, nisi miserabilis strages & cala-
mitas & centum mala alia. Atque simili
fortunæ, Auditores humanissimi, turbulen-
tissimo hoc rerum statu videmur esse expo-
siti, & utinam videamur & ne simus! cùm
nostra salutis *ancora* suarum Regionum At-
las, Rerum nostrarum *Prora & puppis*,
Omnia præterea verbo complectar ut uno,
CEDRUS NOSTRA CECIDIT. Anigi-
tur hoc casu abietes non ululare, non fre-
mere, non plangere deceat, postea despicie-
mus: Jam qvalis Cedrus ceciderit, enuclea-
bimus. Qvemadmodum autem qui speci-
osam arborem exquisituri nemus ingredi-
untur, inter alia de ejus proceritate in primis
sunt solliciti; sic me hâc vice facturum esse
videbitis. De Cedro regionibus nostris pa-
rùm nota memorant fide digni Physici, qvòd
sit arbor procerissima & ad centum ac tri-
ginta pedes nonnunquam soleat excresce-
re. Qvot pedes hîc, auditores attentissimi,
in admirandam longitudinem eretos; tot
gradus nostrum Principem in linea Majorum,
qvin & virtute propriâ ad summum
honoris culmen adscendere conspicimus.
Sijam permulta secula vellemus retrò cur-
re-

rere & tantum illustriora veterum Saxonie
Heroum facta, qvibus altissimæ Cedri in mo-
rem ad cœlum usq; surrexerunt, adducere;
futurum esset, ut dies nos citius qvam mate-
ria orandi deficeret.

*Sed si quis meritâ velithac celebrare Camenâ,
Vel tenui saltem significare stilo;
Certe Sisyphium videatur volvere saxum,
Quamve queat fieri, necesse majus opus.*

Quid enim dicendum esse putabitis, audito-
res politissimi, de qvinq; FRIDERICIS, filio, pa-
rente, avo, abavo, atavo, non interruptâ ge-
nerationis serie se invicem seqventibus? Qvi
penè suis soli laudibus Scriptorum manus fa-
tigarunt: Qvorum primus FRIDERICUS, co-
gnomine *fortis & animosus*, vel à materni amo-
ris notâ, *Fridericus cum admorsâ genâ* appellatus,
Heros fuit armis clarissimus, & cum tribus
Imperatoribus, Adolpho, Alberto & Hen-
rico VI. acriter dimicuit, suafq; regiones à vio-
lentis Eorū incursionibus vindicavit: Qvod
cùm vidisset Tuscia & Lombardia, dignissi-
mum judicârunt Principem, cui rerum suarū
axioma deferrent: Ipse est, qvi Altenburgum
ex invidia Parentis Alberti, qvi illam Arcem
ac civitatem cum Margaretha, Friderici II.
Imperatoris filia, inter alia dotis loco accepe-
rat, amissum, Deus faxit æternam hujus lineæ
sedem! à Ludovico Cæsare confirmatam.,
suæditioni rursus addidit. Nec minor fuit suo
Parente germanus filius, FRIDERICUS alter
gravis dictus, cuius animi magnitudo inde po-

B

test

test colligi, qvod demortuo Ludovico solenniter ac unanimiter oblatos à Romani Imperii Statibus fasces maluit Carolo IV. decem mille libris argenti puri emptos relinqueret, qvam ipse cum immortalis nominis gloria gratis accipere. Hic, dum in altissimas Saxonicae Cedri laudes evehor, non aliter, Auditores collendissimi, mecum comparatum esse comprehenditis, qvam cum eo, qui vernantem tempore in prata amoenissima pulcherrimorum varietate florum luxuriantia expatiatur, ubi quid praeceteris decerpit, cum omnia se mira quādam suavitate commendent, ignorat;

Sic prius occiduaς Titan labetur in undas,

Fessaq; nocturnos Cynthia ducet equos;

qvam praecipua saltem ex tantâ multitudine memoravero. Si jam de FRIDERICO strenuo, qui ipso cognomento nobis sui admirationem injicit; si de hujus filio FRIDERICO bellico, qui magnis in Cæsarem meritis Electoralem Dignitatem Misnicæ Domui fecit propriam; Si de FRIDERICO placido, secundo ex hac linea Eletore, re & nomine placido, qui prope Lipsiam cum fratre Wilhelmo, postquam uterque cum instructissimo exercitu adversus alterum decernere paratus stabat, pacem, cum osculis & amplexibus sub dio cataphractus iniit, eamque postea in Portâ Naumburgensi ratâ voluit, verbis ex latino Psalmo comodè recitatis: *Non confundetur si loquetur inimicus suis in Portâ;* Si, inquam, de his FRIDERICIS saltē, & de ipsis rum

rum rebus præclarè & heroicè gestis, ordine
 differere instituerem, non pagellarū aliquot,
 sed integrī voluminis opus futurum esse vide-
 retur. Verūm enim verò qvid prodest Sere-
 nissimo nostro ^{rūrāyios} DOMINO ex antiquissi-
 mis Majoribus laudes procul distitas accerse-
 re, cùm domi satis gloriæ suppetat, unde tan-
 quam Cedrus ex maximis arboribus celsissi-
 mum caput possit extollere. Qvis enim nescit
 dulcissimum Ejus Patrem Dn. FRIDERICUM
 WILHELMUM vel solo nobis nomine amantissi-
 sum, ob singularem Pietatem, ob ingentia
 in Imperium Romanum merita, ob flagran-
 tissimum sinceræ Religionis zelum, saluber-
 rima pacis belliq; tempore consilia, laudabile
 suarum regionum regimen, exquisitam in-
 genii Prudentiam & ob paternā suorum sub-
 ditorum curam ; modò fulcrum, & salutem
 Regni ; modò hostem doctrinæ acerrimum ;
 modò lucem Prudentiæ fulgidam, modò se-
 renum Clementiæ Solem ; modò firmam fi-
 dei arcem & ancoram ; modò egregium toti-
 us Germaniæ decus fuisse appellatum. Et
 qvanta spes ac fiducia posita in hoc Duce fu-
 erit, ex eo liqvet, qvòd comūnibus suffragiis
 Electoratūs Administrator designat' est, cui
 etiam Spartæ tanta cum Clementiâ & beni-
 gnitate præfuit, ut Administrationis lampa-
 da tradens, totum Electoralem Circulum.

B 2 ad

+ falsa

ad semestre spatum ab annuo censu liberum dimitteret. Tantus & tam charus omnibus in vitâ reliquâ Princeps, ut præter longævitatem nil facile in eo desiderari potuerit. Cùm enim DEI gratia Familiam Illustriſſimam qvâm optimè statum inâſſet, *duo-decim* utriusqve ſexûs Liberorum Parens factus, ex qvibus beatissimus noster FRIDERICUS WILHELMUS tum temporis maternis adhuc visceribus conclusus tenebatur, anno quadragesimo, ipſo ætatis flore, post Christum natum millesimo sexcentesimo & ſecundo, humanis rebus citâ nimis morte exemptus eſt. Hic Parens erat. Sed qvid ulterius videtur Vobis de Avo, DOMINO JOHANNE WILHELMO, Altenburgensis & Viniariensis Lineæ Fundatore felicissimo, Principerum bellicarum scientiâ & DEI ejusq; verbi amore nemini ſecundo? Quid de Proavo, DOMINO JOHANNE FRIDERICO, Saxoniæ Electore revera Magnanimo, qui ut auream crucem pectori, vel ut alii annotârunt, dorſo impressam ex utero ſecum attulit; ſic ſub vexillo crucis CHRISTI, qvam diu vitali aurâ fruidatum eſt, acriter pugnare coactus fuit; A salvificâ & ſemel agnitâ veritate ne latum ungue in diſceſſit, famem, ſitim, carceres & omnia prius patiens, etiam vitam ipsam præfentissimæ mortis periculo interritè expo-
nens,

nens, antequam pestilentissimum Tridentini Concilii monstrum pro credendi regulâ agnosceret, aut Cerberum Interimisticum adoraret, beatissima analysi, undecim antef diebus in cœlum ablegatâ fidelissima Conjuge Sibyllâ, tandem corporeis ergastulis solutus. A Proavo nostri Principis ascendimus ad Abavum, DOMINUM JOHANNEM, Sacri Romani Imperii Archimarschallum & Electorem, *Constantem* cognominatum, ob constantissimam veræ fidei assertionem, ad extreum usque vitæ halitum factam. Nam sicut primus extitit, qvi ex Principibus Christianis Confessioni Augustanæ subscriptis, qvam etiam Imperatori Carolo, Augustæ Vindelicorum, invictissimô animô porrexit; sic etiam in hâc Confessione semel editâ, præsentibus Luthero & Philippo, ad scitis mortis testibus, in arce Schweinicensi, tranqvillè expiravit: Tam diligens divini verbi auditor, ut multas conciones sua ipsius manu ex ore B. Lutheri exceperit.

*Ast operæ immensæ est plenis hic omnia ferre
Laudibus;*

ut valde mihi verendum sit, ne mea dicendi infantiâ ac balbutie Illusterrimorum Saxoniæ Principum virtutes obscurentur potius, qvam in mensa solis exponantur: Et tamen non omnino de his tacendum esse duxi, ut,

B 3

qvan-

quantū Virum sinistra fata abstulerint exinde
haut difficulter vobis liceat concludere. Si-
miles itaque, auditores præclarissimi, hâc in
parte eritis ingeniosissimo illi Geometræ, qui
forte fortunâ Herculis pollicem inveniens,
adhibitò circino statim emetiebatur, quâm
grandi corporis mole instructus ipse fuisset;
Ita vos ex avitâ Beatissimi nostri gloriâ, à me
particulatim & concisè saltim adducta, ap-
plicatiō vestri ingenii modulō confessim co-
gitabitis, quæ dici à me potuerint & quæ di-
cenda restent. Atque id fideliter circa hoc
ipsum volo præmonitū, ne quis decantatissi-
mi Duci encomium verborum meorum
pauperie metiatur & hōc modō aliqvid de
ejus præconio, quod sine inexcusabilis sacri-
legio nequit fieri, auferre vel omittere præ-
sumat. Nam quod libro quarto suorum car-
minum Horatius habet:

*Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in equis, Patrum
Virtus, nec imbellem feroceſ
Progenerant aquilæ columbam.*

Quod aliò versus genere Frischlinus sic ex-
presit:

*Scilicet in natos manant exempla Parentum
Inq[ui] suæ mores pignora matris eunt.
Fortibus atq[ue] bonis fortisq[ue] boni q[ui] creantur,
Nec venit àgnavos semine desequus;* Nec

Nec fœvis imbellem volucres genuere columbam,
Atrum nec corvum procreat albus olor.

Igitur ab Illustrissimis & majoribus nostrâ deprædicatione Parentibus talem etiam progenatum esse filium, apud omnes, qvi vivum coluerunt, in confessio est. Hæc circa altitudinem & proceritatem nostræ Cedri, qvæ, proh dolor! cecidit, in medium par erat adducere. Sed longè plura sunt, observatissimi Auditores, qvæ si rectè perpendantur, nostrum FRIDERICUM WILHELMUM simillimum Cedro efficiunt. Namqve has eximias arborum species non posse ex se progerminare, sed cum aliis plantis divinâ benedictione egere, nemo est qvi negat. Hinc Cedros Libani præpotens Deus plantâsse, non semel in suo verbo legitur. Qvis est, qvi fructuosissimum Regiminis hortum Cedris exornat? Qvis est, qvi Cedrum nostrum in septimum & sexagesimum annum vivam servavit ac viridem? Qvis? nisi benignissimus Pater lumen, à quo omne genus bonorum in nos depluit. Cedros in elatis montibus & prope aquam consitas favissimè succrescere, ex sacrarū literarum Pandectis notum iterum est. O qvam benè nostra Cedrus in maximè conspicuo Celsissimi Generis monte, aquis immò flumine felicitatis variæ adspersa crevit, dum bellicis calamitatibus exantlatis, aureola pace frui, dum in mellitissimo Conjugii Para-

Paradiso tres Cedros ex se enatas cupidissimo complexu fovere, dum Regionem suam Dei gratia bonam, si non plurimam partem autem possidere, dum apud exterios laude prudentissimi, justissimi, meritissimi, vereque germani Principis, apud suos desideratissimi Patris titulo gaudere, & qvod Eberhardus Dux Würtembergicus aliquando in confessu multorum Principum, cimelia suorum Ducatum gloriosè extollentium, id ipse de se jactantiā non vanā & inani gloriari potuit: *Se à suis subditis filiali amore semper excipi, & si ad horum quempiam in vasto campi æquore vel nemorosā solitudine diverteret, se inclinatō in ejus gremium capite, placidissimē obdormiturum.* Qvæ certè non infima Ducis est felicitas. Et velut arbor plantata secus decursus aquarum, fructus suos, juxta sapientissimum Psalmographum, fert in tempore; Sic Cedrus nostra divinitus ordinata juxta aquas tantæ prosperitatis, aquas largæ benedictionis, aquas spiritualis regenerationis, fructibus etiam non fuit destituta suis, sed ut Cedrus optatō proventuum cumulo suos Posseffores solet exhilarare; Sic ista Cedrus nostra abundavit pulchris fructibus: Fruictibus *Justitiae*, suum cuique tribuendo & salutares leges commisso gregi præscribendo: Fruictibus *Clementiae*, paterno suos affectu complectendo: Fruictibus *Sapientiae*, mala, quibus sui premi poterant, tanquam è specula longè prospiciendo, & ubi averrun-

400 (17.5.0)

runcare erat impossibile, leniter medican-
do : Ante omnia fructibus *veræ Pietatis*, qvam
à supra laudatis Majoribus propriam ac qva-
si hæreditariam accepit. *Qvàm amplam*
etenim FRIDERICUS *sapiens Elector*,
repurgatæ à paleis Papisticis doctrinæ januā
imò portam in suis regionibus patefecerit,
qvàm paternè idem Megalandrum nostrum
Lutherum, adversus cruentissimos hosti-
um insultus, in potentissimam tutelam af-
sumperit, hæc plenis buccis decantant hi-
storici. Non præteriissemus anteà, in dedu-
cendâ Cedri Saxonicae altitudine, hunc Prin-
cipem silentiō, nisi tanquam per scalam de-
gradu in gradum tunc exurgere fuisset ani-
mus : Hinc necessariō siebat, ut, cùm cœlebs
atque ita sine liberis hic FRIDERICUS obierit,
hac ratione ab eo digressus ad alium institui
nequivierit : Alias memorabilibus factis non-
minus qvàm ex Antecessoribus suis qvispiam
emicuit, ex qvibus unicum adduxisse suffici-
at, qvod trium Imperatorum Vicarius ele-
ctus, imò Ipse tandem ad capessendum im-
perium, si suscipere voluisset, postulatus est.
Eius insuper Pietatem, qvæ Domui Saxon-
iae innata est, ipsius Symbolum : *Verbum Domini manet in æternum*; satis superqve edocet : De
hujus fratre JOHANNE & de Johannis filio, JO-
HANNE FRIDERICO I. biga Electorum, qui suæ
C Pie-

Pietati immortui sunt, antea audivimus. Hâc egregiâ Pietatis ac Religionis laude nemini ex Celfissimâ Profapiâ cedit Divus FRIDERICUS WILHELMUS, qvi hanc virtutem gemmam *ad omnia esse utilem* coñuni vita comprobavit & itidem Christianissimo symbolo ex medio Spiritus S. gazophylacio desumpto, posteritati coñendavit, sanctissimis FRIDERICI WILHELMI beatè defuncti Parentis, hōc ipsō pressissimè insistens vestigiis. De magno Theodosio, piissimo Imperatore, divinæ eloquentiæ lumen & flumen Ambrosius in funebri oratione celebravit, fuisse Eum Virum pietate plenum: Si aliter de inclytissimo nostro Principe judicaverimus, veritati in faciem contradicemus. Qvàm sæpe enim devotissimus animus discursus Theologicos politicis interseruit, nihil sanctius & prius habens qvàm de divinis rebus, colloquia instituere! Qvàm crebro sacris publicis interfuit, etiam si per pedum valetudinem, cum qua extremis ante suum exitum annis plus vice simplici conflictabatur impeditus fuisset sella ad id singulariter præparata se apportari curans, aut ubile lecto planè affixus teneretur, apertis cubiculi foribus ad orandas in conclavi conciones auribus & animo attētus! Talia cū hisce meis oculis usurpaverim,

af-

affirmantit eò faciliorem fidem dabitis. Præterea qvàm patienter exercitatissimus calamitatibus Dux ferundo oneri cervicem applicuit, incredibili animi robore voluntatem DEI præ suâ semper eligens & dulcissimorum Conjugum, exoptatissimiq;ve filii mortem magnò spiritu perferens. Qvintum Carolum impensisssimè vacantem precibus, idcirco pluscum Deo qvàm hominibus collocutum fuisse, referunt æternatura historiarum monumenta. Nostro Beatissimo diebus singulis aliquas horas in suo oratorio cū Deo intercessisse colloquiū, neminem ex ministris suis latuit. De sedula Bibliorum evolutione, munificā in Professores Ecclesiasticos propensione, indefessā utilium librorum lectione, hâc vice prolixam mentionem non injiciemus. Illud cùm irrefragabile piæ mentis testimonium præbeat & nihil nisi sanctū & planè igneum ardorem spiret, intactum non possumus linquere, qvòd Biblia Witbergensia, germanico idiomate impressa, Dn. filio CHRISTIANO, anno puerilis ætatulæ sexto dono dederit cum hâc notabili admonitione & propriâ subscriptione, qvā qvidem latinis facile esset transcribere; sed cùm verbis ipsis maternā in lingua exaratis, plus spirit' ac virtutis inesse videatur, prout sonant recitabimus: Diese Bibel hab ich meinen Hrn. Sohne

C 2

Herr-

-93

(20)

Herzog CHRISTIAN verehret / mit der Väterlichen Vermahnung / daß er Gottes Wort bis in den Tod liebe / darüber halte und sein Leben dar- nach anstelle ; so wird ihm Gott in dieser argen Welt bestehen / und sein Herz mit Göttlicher Er- fährt / Klugheit und Verstand erfüllen / daß Er ein loblicher und glückseliger Fürst werde / welcher in Tugend / Gottseeligkeit und glücklichem Wohl- ergehen / seinen Christseeligen Vorfahren es möge gleich und zuvor thun / das ich herzlich wünsche / Und habe dieses zu seiner guten Erinnerung mit eigener Hand hierain geschrieben / den 30. Jan. 1660. Si itaque juxta Aristotelem, *boni Principis est curare sacra sedulò*; optimum certè Principem mortali statione digressum esse, apparet. Et si emunctiores Ethnici, inter primas & præcipuas Regis laudes Pietatem numeraverunt ; ad sidera evanescens defunctus noster cum suo erit moderamine, quod hanc virtutum omnium Præsidem illicò suspexit. Dictum : *Regna firmat Pietas, gloriosissimus Daniæ Rex CHRISTIANUS IV.* non tan- tū in ore freqenter habuit , sed aureis etiam literis in aulâ suâ aliquoties adscribi , quin & monetam jussit hâc inscriptione cudi, ut qvis animadverteret nullò planè metallò melius quam aurô & argentô illud asservari. Non minore cum delectatione animi inte- gerimus noster FRIDERICUS WILHELMUS ele-

electissimam sententiam: *Pietas ad omnia utilis,*
omnibus albis, libris, chartis imò cordi meli-
us qvàm auro & argento inscribendam exi-
stimat. Felicitatem regni Pietatis fructum esse,
constans cordatissimorum Veterum fuit elo-
gium. Hinc nemo mirari debet, qvòd per
tot annorum Centurias Celsissima Domus
Saxonica tanta Lumina & Columina ex se
fusceperit, tantà fortunâ floruerit, & ad tan-
tum gloriæ fastigium per angusta ad augusta
tetenderit. Diligentibus enim Deum omnia
in bonum oportet vergere. Et hæc dum
pensiùs excutimus, magnâ spe erigimur, fo-
re, ut demortui Parentis Pietas relicto filio u-
nico, ejusqve ternis Regionibus suum ad-
huc fructum sit paritura, etiam ubi pium
corpus in cineres est redactum. ²⁰ *Nam fa-*
teor libenter, me sine coñotione & affectu
nunquam posse ruminare illud in sacro Codi-
ce, qvàm eximiis benignissimus Deus præmi-
is sinceritatem Davidis, etiam post ejus mor-
tem ex alto compensarit, dum Salomonij ju-
veni non secus ac Pater filio connivit, in peri-
culosissimis casibus præsens adfuit, sine e-
xemplo insignem præ omnibus in orienta-
li plagâ Regibus, sapientiam tot hominum
myriades gubernandi instillavit, & ut pau-
cis plurima comprehendam, post Patris obi-
tum Patrem se exhibuit, subinde causam be-

C 3 ne-

neficii addens: *Propter Davidem Patrem tuum,*
qui ambulavit in viis meis. Ergo tanta in Deum
 fiducia, tanta Spes & Pietas denati Principis,
 non simul cum Eo denascetur, etiam si fru-
 Etus suos post seros demum annos sit reddi-
 tura. Hæc una excellentissimæ Cedri est u-
 tilitas. Si addiderimus alteram, qvæ ex san-
 Etæ Justitiæ consideratione oritur, ut ut reli-
 qvas brevitatem temporis exclusi non attinga-
 mus, consummatissimi tamen Principis ide-
 am videmur posse proponere, juxta versum:

JUSTITIA & PIETAS tua sunt PRINCIPIS artes.

Quid enim, Auditores præstantissimi, mor-
 tales Deo assimilat? Justitia. Quid Tyrann-
 num à bono Magistratu discriminat? Justitia.
 Quid famam in sepulchro conciliat? Justitia.
 Quid pios extollit? improbos deprimit? Ju-
 stitia. Quid tandem Regna, Principatus,
 Civitates, Respublicas, vicos, pagos & eo-
 rum incolas in statu conservat florido? Justi-
 tia. O JUSTITIA, JUSTITIA, aureæ PIETATIS le-
 Etissima Filia, à paucis inveniri, pluribus ama-
 ri, omnibus deprædicari solita; Tu ex mente
 Ciceronis Virtutum omnium Domina ac Re-
 gina; Tu, ex sententiâ Aristotelis, formosi-
 or es Hespero & Lucifer: Tu beatissimi
 DOMINI serenum cor à teneris adeo imbuisti,
 ut sine Te nihil honestum, nihil jucundum,
 nihil utile, nihil possibile, nihil tandem firmū

ac

ac stabile statueret, ut ad Te & Tuam matrem, tanquam ad Helicen & Cynosuram totam vitæ navim dirigeret, donec tandem per syrtes ac scopulos, per luctus ac fluctus

Per varios casus, per tot discrimina rerum.

ad portum æternæ tranquillitatis penetrauit. Cornelium Grachum, Romanorum Nobilium æquissimum, è Præfecturâ Balearum Insularum reducem, sic in Senatu verba fecisse accepimus, *Se per anno tredecim eas insulas jubente Senatu Populoque Romano rexisse: Sed se, Diis & Conscientiâ testibus, per totum illud tempus, quoad ipse sciret, læsisse neminem.*

Triginta, observantissimi Auditores, Triginta, inquam, noster DOMINUS jucundæ recordationis, annos regionibus regendis præfuit, imo & in militiâ (neqvid esset, qvod ad quævis magna natus animus inexpertum fineret] molestissimûs Ducis Generalis vires, cum gloriâ non intermoriturâ in juventute obiit, *magnus in bello, major in pace, utrobiique justus & moderatus Princeps, qvi cum Israëlitarum Rege conscientiosissimo, secundùm Cor. Dei Viro, in primis manus ab iniqvitate puras servare, & illud prudentissimi Viri:* *¶ dñus audax, ¶ dñus amans, justissimum, pulcherrimum, pro certâ vitæ regula eligere non dubitavit, adeo ut Samuels rectissimi Judicis voce pro sua uti & universam Subditorum multitudinem testari*

po-

46 (29) 40

potuerit, *ancipiā extantā catervā, sed sciens,*
sciens, inquam, fecerit injurias? Cum enim Ma-
gistratus & Principes officiū ratione Deo qvi-
dem similes, sed naturā Dii non sint, qvi pos-
sint omnia scire, omnia prævidere, præsentes
omnibus in locis esse, & quod solius Dei est,
abdita cordium secreta penetrare, accidit in-
terdum imò sæpiusculè, ut cogitata optimè
eventum queant sortiri pessimum. Acce-
dit ministrorum & inferiorum Magistratu-
m malitia & verfutia, hodiè fraudulentif-
fimo Politiae nomine tecta, & malorum o-
mnium radix, habendi, vel ut apertius di-
cam, defraudandi, rapiendi, exagitandi, fu-
randi cupiditas, ut tales homunciones, qvi
solo titulo reliqvis sunt meliores, *præter volun-*
tatem sui DOMINI sint exulceratores civium,
vaстatores Rerum publicarum, pestis & per-
nicies populi. Sed si eapropter amantissi-
mi Principes, qvibus insciis hæc omnia per-
petrantur, atro carbone sunt notandi, hoc
modo Deum in cœlis injustitiæ postulari o-
portebit, sub cuius optimo regimine pessi-
ma qvæque fieri apertum est. Nec salu-
berrimæ Justitiæ aliqvid decedit, si atrocia
delicta exasperatis pœnis vindicentur. Nam
sicut Dei solium duobus quasi fulcris & pe-
dibus, *Justitiā & misericordiā* innititur; Sic ma-
ximorum Capitum Thronus *Clementiā & Æ-*
qui-

folio 17 verso

qvitate solidatur. Hinc facilè cognoscitis, auditores omni honoris cultu prosequendi, qvare Dux Celsissimus, præfractos qvosdam Majestatis osores, in castro Coburgensi & Leichtenburgensi, perpetuis carceribus damnaverit. Si enim tanta crima multa dimittantur, qvis tandem læso Magistratu, ut cœlitùs concessò vitæ & fortunaruim præsidio, tutus esse velit? Cùm insuper ex Pythagoræ monito, *de improbus pœnas non sumere, sit bonos ultrō injuriā afficere.* Quemadmodum igitur in splendidissimo Catonis Censorini Palatio qvondam adscripta verba novimus: *Beatum Te Catonem, injustum nemini!* Ita beatissimi longeque justissimi Domini magnificè fabricato loculo, exuviarum domicilio, magnis literis adpingemus: *Beatum Te, FRIDERICUM WILHELMUM,* & iterum *beatum, justum singulis & omnibus!* Hic rursus unus est ex speciosissimis nostræ Cedri fructibus.

*Ast hæc Mæoniā sibi poscunt omnia venam,
Et mea sunt tanto verba minora DEO;*

Tamen ubi mare semel sum ingressus, velificandum porro est. Illud autem in Cedro ulterius meretur observationem, lignum hujus arboris tam jucundam spargere fragrantiam, ut loca etiam longo intervallo inter se distantia odorem,

D per-

persentiscant. & svaveolentia Libani cuique
 balsamo facile qvondam potuerit palmam
 præripere. *Virtutis odor est*, Auditores optimi,
 qvi se non patitur includi aut vi ullâ suppressi,
 præsertim in laudato Principe. Cùm e-
 nim nulla gens sit tam barbara, qvin, si
 habere nequeat, Regem tamen justum,
 fortē, bonum & ad excellentissimorum
 Ducum exemplar confirmatum expetat,
 fieri oportet, ut ii in omnium oculis, animis
 & oribus gerantur, qvorum moderamen
 in hâc rerum universitate laudabilius emi-
 net, ut eorum Principatus felices prædicen-
 tur, ut Ipsius cum suo imperio hâc ratione
 per totum terrarum Orbem deferantur,
 ceu cuilibet liqvidò constat exemplis
 quorundam populi Israëlitici celebriorum.
 Regum, quorum amicitiam extranei
 literis missisqve donis qvæsiverunt, adeo
 ut Templum tam splendide extructum
 Hierosolymis non stetisset, nisi Tyriorum
 Dominator Hyram, famâ Davidis atqve Sa-
 lomonis motus, nobilissimas lignorum speci-
 es, & in qvâvis materiâ scitè & affabré ope-
 randi peritos artifices misisset. Atqve hæc
 sapientissimum Davididem fugiebant mini-
 mè, qvæcausa erat, qvare *bonum Nomen effusis*
unguentis melius esse in suo Ecclesiaste pronun-
 ciaret. Hanc Nominis celebritatem NOSTER,
 exo-

exoticis itineribus, ab anno vigesimo supra millesimum & sexcentesimum, per Angliam & Belgium, Hispaniam, Italiam & ultimò per Galliam, susceptis, comparavit. Nec rei militaris rudis esse voluit, ut in bellorum etiam tumultibus, si adduxisset eò necessitas, suis consulere valeret. Igitur peregrinationum cursu absolutò, castra JOHANNIS GEORGII I. fortissimi Saxoniæ Electoris, Majorum bellissimorum Exemplis, tanquam qvibusdam facibus accensus, seqvebatur, tanta Prudentiâ & Fortitudine, ut aliquando in absentia Campi-Marschalli Domini ab Arneimb, mandatò Serenissimi Electoris, Ei cura totius exercitus regendi credita fuerit. Nec minor postea ad finem perducto bello in pacatis fuit Regionibus, ubi ad clavum, sedens & domi, qvod suarum erat, sanguis, sapienti gubernatione plus innotuit, qvam alii ad Indos & Garamantas peregrè eundo: Qvò factū est, ut illius Gloria exiguo spatio minus contenta, instar suffimenti solidissimi, non tantum suas Regiones omnes; sed exteris etiam pervaserit: Cujus rei argumentum est, qvod mors illius illustrissima & inde nata non vulgaris subditorū tristitia, simulacè corpore egressa est animula,

D 2

per

per celerem anniversariarum historiarum, Pegasum, è locis peregrinis mundo indicata est, cum honorificentissimâ commemoratiōne mitissimi illius sceptri, qvod, dum vixit, beneficentissimus Pater, ex omnium voto gessit : dum mortuus est, cum perennanti & nunquam desitura famâ deposuit. Qvo ipso *immortali Cedro* iterum non est dissimilis. Quemadmodum enim enunciante sanctissimo Ecclesiæ veteris Antistite, Hieronymo in Ezechielem, *lignum illius est imputrescibile & tincis impervium*; Sic variæ loquendi formulæ furerunt ex eo natæ, ut opus Cedro dignum, eximum & ab injuriâ blattarum ac invidorum hominum conservandum statuerent. Hinc loqui Cedro digna, sunt Persio proferre digna immortalitate. Hinc Poëtarum ingeniosissimus Horatius, qvod ex probatâ veterum sententiâ, succô Cedrinô res illitæ cariem non sentiunt,

----- *Speramus, inquit, carmina fingi
Posse linenda Cedro.*

Hinc argutus naturæ Secretarius Plinius, qvē in his veriorem qvām in aliis multis testem fore credemus, scriptum post se reliquit, libros Numæchartaceos [auditu admirandum] hæc arte post annos quingentos & triginta, quinqve residuos fuisse. Sed qvæ, Auditores oculissimi, qvæ hæc est diuturnitas, qvæ in-

(29)

in summa rerum inconstantiâ tandem tamen
intercidit. Memoriam nostri Principis nul-
la unquam obliterabit oblivio. Eant nunc
Ægyptii cum Mumia, singulari ungventi
genere, qvod è Cedro, melle, sale, cerâ, resinâ
& bitumine mistis inter se præparabant, eò-
qve mortuorum corpora condita in tantum
exsiccabant, ut ferme tota redderentur ænea
sic à corruptione liberaturi. Sed qvæ vo-
luptas est durare corpus putridum, laude
pietatis & veræ gloriæ privatum, qvâ solâ
post mortem licet vivere. Cùm etenim
vita, qvâ fruimur, brevis nimis sit & lubrica,
memoriam nostram qvâm maximè longam
efficere studemus haut immerito. Et hoc
ipsorum Ethnicorum etiam, qvibus spes æ-
ternæ vitæ nulla affulgebat, fortissimum in
mediâ morte fuit solatium. Proinde gra-
vissimum Isocratis, Atheniensium Rhetoris,
effatum erat, *Cogitatis, inquietis, velim, mortale
nobis corpus esse*; *Sed gloriâ & laudibus immortalitatis
nos compotes fieri.* Cui geminum Ciceronis est,
*Mortem ius, pronunciantis, terribilem, quorum
cum vita omnia extingvantur, non quorum laus non pos-
sit emori.* Qvâm vivacem itaque nostrum
PATRIÆ PATREM fore opinabimur, qvem in-
ter cœlites non interitura manet Gloria &
inter mortales perennis memoria.

Epominondam, pugnacissimum The-

D 3

ba-

banorum Ducem, cùm in prælio lethali vulnere succumberet & universa civitas ad corpus Ejus afflueret, de præmio laborum rogatura, respondisse ajunt: *Nullum aliud volo, præter mei memoriam.* Et ubi aliquoties fuisset percontatus de clypeo, num salvus superefset, auditò, *superesse*, nuntiò, ad mortem tanquam somnum se composuit his verbis? *Nunc latus morior, hoc salvo, quo salvus latus vixi. Epaminondas vester dum sic moritur, vivere incipit.* Quo dicto, extracta è vulnera sagittâ venenadâ confessim expiravit. Serenissimus noster Princeps ac DOMINUS, Auditores attentissimi, non prius molestias ex diffici imperio pro nobis sustinendas, qvam Spiritum in manus Dei Patris de se amandavit. Et ut in miserum Epaminondam, sui caput exercitus, irruerant omnes hostes, nec crudelitatis finis erat, donec è medio viventium sustulissent: Sic noster Beatissimus, infelix qvasi centrum fuit, in qvem coacervato agmine, qvicquid curarum & sollicitudinis, qvicquid periculi & calamitatis moderandis rerum habenis adjacet, tamen vehementi impetu fecerunt, donec diminutis viribus, afflictissimam animulam extorserunt. Pro tantò cùm nihil unquam labore expenderis, *perpetuam Ei memoriam spondebis*, atque hâc ratione comittes, ut indies in Tuo animo

mo queat reviviscere. Hispani antiquiores,
 ut præclaris militiæ Præfectis non obscura-
 virtutum monumenta ponerent, tot hastas
 circa sepulchra fixeré, qvot hostes interfe-
 cisse eos notum erat. Nos jucundissimam
 nostri Ducis recordationem Nepotibus pro-
 pagaturi, *tres hastas vexillis insignitas* circa bustū
 statuemus, in quarum primâ : AMOR DEI;
 in altera : OBSERVATIO JUSTI & Æ-
 QVI; in tertia : CURA POPULI, se intu-
 entium oculis objicit. Veluti igitur Ma-
 gnus Alexander *se satis vixisse dicebat, non an-*
nos, sed triumphos numerans; & non ætate se, sed pe-
rennitate metiens; Sic nimiùm præcoci qvidem
 fato magnum Heroëm naturæ concessisse,
 dolendum; Interim si Divum Animum *me-*
moriæ æternitatem mensurare velimus, qvâvis E-
 um Cedrō stabiliorem esse, concedendū erit.
 Sed heu! qvām tristi omine funesta nostra.
 Cedrus est? Nam folia Cupressina & Cedri-
 na mirificè externâ formâ inter se conveni-
 unt. Et nostra, eheu! Cedrus Altenburgi-
 ca feralem in Cupressum planè nunc muta-
 ta est. Sicut itaque apud Romanos Cupres-
 sis signabantur mortuorum domus; Sic Do-
 mus Palæopyrgica, Celfissimis tot Cedris
 haec tenus conspicua, qvæ tamen infandâ
 mortis truculentia, tantum non omnes &
 tantum non radicis excisæ sunt, jam spar-
 sis

sis undique & undique Cupressis jacet obruta.

Quid enim anno currentis seculi sexagesimo & tertio, die quinto Junii, omnibus Altenburgicæ ditioni subditis maximè lamentabili factum sit, dum sine comparatione Princeps CHRISTIANUS, Deo & mundo acceptissimus, inopinatâ morte occubuit, id nemo nostrum sine acerbis suspicitiis in animum sibi etiamnum revocat. Filium anxiis lacrymis præmissum superiori anno, ipsò trium Regum festo, sequitur mater, Exemplar fœminarum Principum, tantæ Constantiæ & Magnanimitatis Herois, ut in adversis nec deprimi, nec se in prosperis extolli pateretur, ex quo *Magnanima* ab exterris fuit salutata: Tantijudicii & rationis uxor, ut è verbis & factis non unis, Prudentia supra quamcunque sui sexus fortem posita eluxerit: Tantæ devotionis atque Pietatis Christiana, ut Libros orationum proprio marte & arte adornatos in salivam publicam emiserit: Tantæ bonitatis & Clementiæ Regina, ut cives ac rustici se matrem amisisse fuerint conqvesti. Verum iræ divinæ patera super nos Peccatores nondum satis erat effusa; Abripitur nunc Cedrus tertia sub cuius latâ umbrâ delitescere, & inficta duo periculofissima vulnera sanare sperabamus.

bamus. Sed ô fallaces hominum spes! ô somnia vana! *Cecidit Cedrus nostra, cecidit.* In lingvâ Spiritus S. verbum est, qvod, velut Ebræi idiomatis gnarissimus Schindlerus in Lexico observavit, significat *è loco superiori in inferiorum decidere.* Heu! heu! Serenissimus noster ex gloriâ in humilitatē; è luce in tenebras; è throno in sepulchrū cecidit. Alphons⁹ Rex Arragonum in Symbolo Coronā habuisse dicitur, cuj⁹ ambit⁹ hanc inscriptionem continebat. *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo.* In frontispicio coronæ pomum erat Smaragdinum cum hâc epigraphe: *Æstate prodor, autumno probor, hyeme perdor.* Qvibus adjecta erat manus globum orbis ex filo tenens, cum lemmate: *Tenui pendentia filo.* Triplici, Auditores in me audiendo patientissimi, si *Altenburgensem, Coburgensem & Hennebergensem* computemus Circulos, triplici, inquam, Regionum Diademat ornatum, nostri D O M I N I caput venerabundè coluimus: Sed quam facile fuit D E O coronam istam, & qvidem præter spem, de illustri vertice avellere? Deprehendimus etiam pomum Smaragdinum, id est, fructum uberem, qvi se æstate juventutis prodidit, autumno virilis ætatis sat probavit, sed ô vix consolabilem dolorem! *hyeme mortis & senectutis perditas est.*

E

Quid

Quid igitur supereft, qvàm ut omnia impe-
 ria, Principatus ac Dominatus, *tenui pendentia*
fīlo defleamus. Rectè itaqve Carolus Ma-
 gnus, in extremis constitutus, cùm Sui sci-
 scitarentur, qvænam insignia affigi tumu-
 lo vellet? *Sola, ait, mortis insignia sculpantur: Nam-*
que hæc Rēgina illa potens est, qvæ omnes meas vīctori-
as in nihilum rediget, & de me ipso vīctore triumphum
aget, hāc superscriptione: Sola mors æquat omnia.
 Profectò Excellentissimus Dux noster cùm
 Carolo in bello neininem timuit & vincere
 potiùs qvàm vinci fuit assuetus; fortissimæ
 sed morti tamen cessit inferior, ut nunc la-
 crymabundâ exclamatione opus sit: *Ceci-*
dit, cecidit! Et sicut altissimarum Cedrorum
 casus abietibus & cæteris adstantibus arbu-
 sculis perniciosa esse solet, easqve secum
 deprimit ac confringit; Sic tanti Principis
 obitus multis miserandam calamitatem o-
 minatur. Traxitinitiò paucis diebus pòst in-
 foveam secum, Virum à Ducali latere proxi-
 mum, supremum aulæ Præfectorū, Generosum &
Nobilissimum Dn Philippum Henricum à Tümping/
Hæreditarium in Tümping/ Heiligen Creuz & Ca-
sefürchen/ Politicum piuin & apertum [qvod in
 hāc mundi perversitate mirum] suo DOMINO
 à teneris fidelem [qvod rarum est] & tutum
 Scipionem, cui procurandæ moles aulæ securè
 inihi poterat, Patronū & ultra quadrieniū E-
 vergetē meū multis nominib' colendissimū,
 biv. 9 3 qvem

qvem dum *Scipionem* appellavi, non incomodo mihi incidit, qvod in exeqviis *Scipionis* cuiusdam, celebratissimi Galliæ Marschalli contigit. Nam ante loculum Ejus prætulerunt caduceum, è cuius manubrio tria lilia, designatura stemma Gallicū, propullulabant, per medium verò caducei inscripta verba extabant : *Non genere tantum; sed ore & re Scipio.* Præcedet more consveto, in funere longè meritissimi Dñ. Marschalli, Caduceator, si italoqvī licitum est, cum baculo & evaginato gladio, qvæ Nobilium innatam dominandi potentiam & virtutem principiò ense partam coomonstrant: cui beatissimus Princeps, si inter vivos ageret, luftuosum habitum, insignibus Rutæ Saxonicae notatum, non denegaret, qvin & prætereà non perfundatoria Ejus Merita publicè exornari jubereth hoc aut simili elogio : *Non genere tantum sed ore & re meus fuit Scipio Nobilis à Tümping.* Insuper gratus Dñ. & generosus Minister, benè, ut in vitâ, sic in morte, sunt conjuncti. *Nunquam enim bono viro quicquam mali evenit, et iam nec mortuo.* Nos arenæ hujus vanitatis adhærescimus dubii, nescientes quid ruina tantæ Cedri minarî nobis velit. *Plorate igitur abies!* Cùm optabilissimus Elector F RIDE-RICUS *Sapiens*, cuius anteà meminimus, extremum in his terris diem morte confesset,

cisset, non incertum B. noster Lutherus testimoniū perhibuit, rusticos ex abitu optimi Ducis attonitos, Witebergæ prope molam stantes, lacrymantibus oculis conceptam tristitiam declarâsse & subinde hanc quere-
lam ingeminâsse: *Pater noster mortuus est.* Nos, Auditores dolentissimi, omnium confessio-
ne non Principem; sed PATREM amisimus.
Ululate itaq abietes Altenburgenses, ululate abietes Coburgenses, ululate abietes Hennebergenses, & Tu im-
primis Meinunga nostra ulula. Sienim à quibus
vehementius amati sumus, eorum funera,
copiosioribus lacrymis aspergere debemus;
Te certè totum mare lacrymarum fundere
decebit, quæ præ reliquis in oculis & desi-
derio Tui Domini fuisti. Sicut ergo Thes-
salia cùm matris suæ humationi adesse non
posset, spongiam misit lacrymis plenam
cum sententiâ ingeniosâ : *Corde & lacrymis*
prosequor. Sic quoniam Tibi sepulturæ Pa-
tris dilectissimi interesse non licet, fletus ta-
men & gemitus Altenburgum mittito, iisq;
intimam Tuam dolentiam testator. Nota-
bilis rerum gestarum scriptor Alexander ab
Alexandro, mirabilem olim apud Galatas
superstitionem fuisse usitatum tradidit, ex
qua de mortuo scriptas literas transmittebant
quas in altero mundo, five Campis Elysiis,
perlegi credebant, easq; ve instituto funerali-
um

um die unà cum corpore igni consecrabant. Si angelus tabellarius in hâc mortalitate nobis obtingeret, & de beatorum animabus, nobis, ut in Ecclesiæ gremio altis & fotis non constaret melius, utique ad nostrum, **FRIDERICUM WILHELMUM**, in cœlo jam degentem, dolorosissimas daturi essemus literas hoc argumento : *Sanctis manibus æternam salutem ! Dive Cœli incola, Tantum à nobis absit, ut Tuæ requiei & numeris omnibus absolutæ beatitudini in videamus, ut polius nos tecum in eâdem æviternum positos optemus. Sed en ! in quibus tribulis post Te nos reliquisti ? Veneramur quidem expressissimam Tuam imaginem in filio : Sed ô si teneræ manus sceptrum Tuum possent regere ! Tu omnibus molestiis, quibus Tu iretinentur, ereptus, inter sacros angelorum Choros ouas, nos verò immensæ malorum voragini immer si lamentabilem vocem edimus : O NO-
S T R U M F R I D E R I C U M V V I L H E L-
M U M . Verùm quid pios manes suspiriis nil profuturis moramur ? Deus, qui te morte vitam lucrari fecit, nos etiam pro suâ bonitate ducat, ut hoc immite adversitatum pelagus eluctati, Tecum lætari queamus in mille seculorum chiliades. Vive, die anime, aliquando Tu corpori, quando nostro Creatori visum est, cum gaudio reduniende, ut nunc sic in perpetuum feliciter ! Dabantur è squalido hoc mundi immundi carcere, Diaboli aucupio, mortalium hospitio, ubi malis benè, bonis malè est, à subditu quondam tuis, nunc valdè mestis.* Hæc, Audi-
tores
E 3

tores Per-Eximii epistolæ scribendæ foret
 materia. Sedita nos ipsis soli relieti singult' &
 gemitus repressos deglutimus, Deo, malorū
 Medico, fortunas nostras committentes.
 Hoc nemo ibit inficias, talem terræ valedixisse
 Principem, qvalem meliorem, si qva futu-
 ra est posteritas, expectare nunquam pote-
 rit. De celeberrimo Imperatorum Pare,
 Tito & Augusto, historiarum Concinnator
 Dion, literis memoriæqve prodidit; Hunc
 si minus, illum, si plus vixisset, favorem Ro-
 manorum neutiquam fuisse consecutum.
 Augustus enim in principio propter exortas
 seditiones crudelior, multis postea traetatu
 temporis in Populum Romanum claruit
 beneficiis: At Titus humanè imperans, pe-
 riit in gloriâ fortean non vacaturus culpâ, si
 longius in contubernio vivorum fuisset con-
 versatus, cùm majori fortunâ qvam virtute
 in vita suâ usus sit. In nostro Duce habui-
 mus, qvod & in adolescentia demirari, & in
 senio laudare, & in morte dolere potuimus.
 Qvòd si ergo juvenis efflâset animam, dimis-
 sus fuisset ægrè, nunc qvia senex moritur,
 ægerimè discedit. Si apud vetustiores Ro-
 manos tantæ laudis Heros à vitâ descivisset,
 suâ, qvis, amabo, vitio vertisset, si super Ejus
 funere pro ethnicâ confvetudine sic essent
 lamentati: *Debuisse illum aut natum esse nunquam,*
aut

aut nunquam esse mortuum. Nos verò in Manes
 pientissimos, imò in nos ipsos essemus maxi-
 mè injuri, si illud fari cum gentibus velimus:
 Etenim si votum obtineret alterutrum, qvid
 aliud esset? qvā velle nostras Regiones hac-
 tenus concessō bono carere, si usura lucis Ei
 planè non concessa esset, & nolle justam ani-
 mam in curia cœlesti nunc triumphare, si ex-
 trema dies à Deo constanter esset denega-
 ta? Utrumqve autem vel mente tantummo-
 do concipere, nobis sit religio. Et si uni-
 versam mundi vanitatem non limis oculis
 contueamur, nostro PATRI potius gratulan-
 dum esse ducimus, qvòd fluctuoso seculi ma-
 ris superato, ad omnigenæ prosperitatis por-
 tum appulerit. Philosophus Braxillus ad
 plures abiturus, cùm à freqventi Senatu visi-
 tatus non parùm deploraretur, ob qvatuor
 causas se lætari affirmabat, primò propter
 conscientiæ bonæ testimonium; deinde,
 qvòd tam magnos Viros suam mortem luge-
 readverteret; tertio, qvòd totis sexaginta
 annis Reipublicæ ac civitati prodesse studu-
 isset; quartò, qvòd cultum, quem aliis debu-
 erit, semper præstitisset, deniqve adjunxit:
Ergo vitam hodiè mihi exordiri videor. Sed ô vitam
 miseram, qvam æternæ mortis tenebræ clau-
 serunt. Beatus FRIDERICUS WIL-
 HELMUS cum bonâ conscientiâ, qvæ erat
 senectutis dulcis nutricula; cum omnium
 suo-

suorum lacrymis, qvæ certissima amoris infucati sunt indicia, cum salutari DEI agnitione & fide in CHRISTUM Salvatorem non dubiâ, qvæ laus est morientium præcipua, excessit, dum annis bene multis, non tam SIBI, qvàm nobis proficere laboravit, & veluti lucerna inserviendo aliis seipsum tandem consumpsit. Sed mera vita hanc mortem infœcta est. Vivit in cœlis, vivit in suorum animis & linguis, & pro qvo immortales DEO O. M. refundendæ gratiæ, vivit in FRIDERICO WILHELMO FILIO. Romani, simul ac ægrotus animam cœpisset exhalare, qvi erant amici proximi, appropinquant morienti, egredientem ejus spiritum apposito ore excepturi. Nulla hîc, spectatissimi auditores, nullâ hîc inspiratione opus est : Ingenitus est nostro juniori Principi Spiritus & animus paternus, qvi generatione melius, qvàm ridiculâ aëris attractione propagatur. Non secus igitur, ac Rex Macedonum Philippus naturæ, qvod debebat, soluturus, adstantes atque flentes Proceres ita solabatur : *Non moriar, quia Alexander, in quo vivam, superstitem relinquo.* Nec minus notatu digna Eduardi IV. Regis Anglicani, in extremo articulo hærentis verba sunt, qvibus Cancellario qværenti, annō animum qvodammodo turbaret, qvòd basilica magnificentissima, amplissimæq; possesiō-

siones sibi essent deferendæ, ostendēdo filios
 regessit : *Ista pignora mihi erunt eburnea palatia,*
in quibus habitabo, quo ad stabunt, eruntq; meæ possessio-
næ etiam, ex quibus sine ullo labore fructum percipiam.
 Sic vestram hīc sententiam efflagito, Auditores devenerandi, annon Dux noster Mini-
 stris supremis, medioxumis, imis torvum vi-
 dentibus lætabundè evolare potuerit, Princi-
 palem thronum cedens Filio, in qvo, si Deus
 volet, gloriosam adhuc vitam aget. Nec
 terrere quenquam debet, qvòd *messis nostra*
in herbâ demum esse videatur; Hæc enim admirabilis Dei maximi est gubernatio, qvod primò
 ad extremam lineam res pervenire finat,
 postmodum inexplicabilem potentiam o-
 mnibus creaturis palam facere soleat, ut su-
 um Nomen solum, gloria, honos laudesq; ve
 maneant, & omnis terra cognoscat, Eum
 esse, qvi possit regnis tanquam pilâ ludere,
 summaq; imperia pro voluntate Successoribus legitimis (fremat orbis & orcus)
 farta tecta reservare : Præsertim arbor Sa-
 xonica & sub eâ Domus Altenburgica
 adversus callidissimas Diaboli machinas
 ita est defensa, ut repentinum DEI auxi-
 lium è vestigio apparuerit. Si enim
 historiarum veterum thesauros recludamus

F &

& in quartum abhinc retrahamur seculum,
Fridericum ad mortum, de quo anteà non nihil
 perceperimus, offendemus. Hic Marchio ante
 quadringentos ferè annos sola stirps fuit, ex
 quo procurante Deo, Saxonica Cedrus mul-
 tis brachiis usque ad hæc nostra tempora se
 dilatavit. Sed quantâ vafricie & insidiis, mil-
 le fraudum artifex hanc arborem succidendā
 quæsierit, dictu est difficile. Primò investigati-
 psum Parentem Albertum, ut ^{reyn} naturali
 suppressâ, in propria viscera, Fridericum &
 Diezmannum, atrocibello sœviret, & injusti-
 tiæ amicum, Johannem, Marchionem Bran-
 deburgicum sibi adjungeret, quorum incur-
 sus cùm fortiter repressissent duo fratres, &
 hoc pacto consilio suo male inito se excidisse
 Albertus conspicatus esset, irâ percitus filio-
 rum regionem, cuius ex mandato Rudolfi
 Imperatoris, justi possessorerant, Adolfo
 Cæsari non despicienda pecuniæ summa ven-
 didit, qui eam per suum Patrualem Philippū,
 Nassoviensem Comitem collectâ manu sibi
 assérere conatus est. Sed Deus qui semper à
 iustorum partibus stetit, prænominatos fra-
 tres sic firmabat, ut aliquoties Philippum
 prælio funderent, qui cùm armata vi nil
 posset efficere, astu rem aggressus, ipsâ
 nocte, Natalibus Sospitatoris sacrâ, Li-
 psiae in Templo D. Paulo dedicato, à
 sica-

sicario mercede conducto confodiendum,
curat Diezmannum, ubi etiam sepultus est,
uti illius Epitaphium & imago hodienum
conspicienda contestantur. Interea Albert⁹
alius, scilicet Austriacus, cui sumum Imperi-
um cesserat, ad componenda dissidia conven-
tū Altenburgi instituendū indicat, revera au-
tem id cupiebat hic novus Imperator, ut sub-
lato etiā Friderico se Dominum regioni de fa-
cto obtruderet, qvā ob causā satelles robust⁹
Fridericū jussus interficere, stricto pugione
in Marchionē nil mali suspicantē irruit, sed ab
Ejus stipatoribus comprehensus ipse confe-
stum trucidatur. Fridericus verò visā hāc mali-
tiā mutatis vestibus in aliā regionis partē abs-
cedit & conscripto milite vim illatā vi repel-
lere conatur. Qvib⁹ etiam ex animi sententia
gestis, nunqvā minor bello, major tamen in-
vidia, qvæ Deus & fortuna deposuerat, oc-
cupat, Parente interim Erfordiæ in sumā pau-
pertate demortuo. Hæc ideo sub finem nar-
rare libuit, Auditores tristissimi, ne despon-
deatis animū & Christianæ spei hastā abjicia-
tis, cū omnes nostras Provincias & omniū sa-
lutes, unicā columnā, sed tenerā sustentari
cogitatis. Deus qviant tot centū años, provi-
dentiā suā celsissimā hanc Domū rexīt & pro-
texit, ulterius patriæ curæ habebit cōmēda-
tā. Id qvod omnes in verā compunctione &
humilitate ad tremendos illius pedes abjecti,

exorare necessarium putamus. Ego devo-
tum Benajæ votum, qvo Salomonem in
Regem mox ungendum impertiebat, in-
qviens : *Quomodo fuit D o M I N U S cum Domino meo*
Rege, sic quoq; sit cum Salomone, hâc vice ex ore
desumens cordicitus precor : *Sicut mirificus*
Deus fuit cum Davide nostro Altenburgico, ad patres
suos in pace congregato, sic etiam cum nostro Sa-
lomone sit. Fuit autem cum ipso in vitâ &
morte : Fuit cum Ipso per singulos ætatuin
gradus : Fuit etiam cum ipso sub manibus
Tutorum à primo nativitatis puncto verlan-
te & tandem suo tempore ad gubernacula
evexit. *Ita sit cum Fedidja & Salomone nostro !*
Induat eum spiritu Scientiæ & Pietatis, spiri-
tu sapientiæ & intellectus, spiritu fortitudi-
nis ac Timoris Domini, ut olim in ipso nostrū
FRIDERICUM, WILHELMUM, ð nostrum FRI-
DERICUM WILHELMUM ! exosculari liceat. Et
sicut Hispaniæ Regis Philippi, in ipso vitæ ter-
mino, Philippum III. Filium instruentis, ul-
timum votum erat, *ut se defuncto sic viveret regni*
hæres, ut Regnum Regem non amittere, sed commutare
sentiret ; Ita scimus beatissimi DOMINI PATRIS
ac gloriofissimæ DOMINÆ MATRIS optionem
sæpiùs repetitam, fuisse huic similem : Qvæ
etiam cum aliis paternis conjuncta præce-
ptis exhortatio, obedientissimo, & suis D o-
MINIS PARENTIBUS nunquam molesto fi-
lio, semper hærebit

Imis infix a medullis.

Concedite itaque (quemadmodum facietis)
**Serenissimi, Celsissimiq; ve DOMINI FRA-
 TRES PRINCIPES, DOMINE JOHAN-
 NES GEORGI, Secunde, feliciter elec-
 tæ, Sacri Imperii Romani oculæ, & Tu MAU-
 RITI, mure Tuorum fortissime, Tuti penes
 Deum nostrarum Regionum TUTORES. Con-
 cede & Tu, expectatissime Princeps, FRID-
 ERICE WILHELME TERTIE, nostra
 spes, nostrum gaudium, nostra salus, ut TE
 aliquando in altum Majorum Tuorum soli-
 um, sô qvibus cum subditorum jubilis] collo-
 cato, Regiones laudabilissimum Principem
Parentem non amisisse, sed commutasse sentiant. De-
 cætero, Deus omnis solatii Te, Serenissime
 Princeps ac Domine, cum Illustrissimâ Do-
 minâ Sorore, JOHANNA MAGDALE-
 NA, & Celsissimâ Dominâ Amitâ DORO-
 THEA, cumq; reliquis DOMINIS CONSAN-
 GINEIS omnibus, qvi casu hocce Tragicove-
 hementissimè solicitantur, à penitissima mœ-
 stitiâ eripiat, & TOTAM DOMUM SAXONICAM
 immane longum à tantâ clade, pro suâ infi-
 nitâ misericordiâ, custodiat, ne desint in hâc
 lineâ rutaceâ nunc & olim Principes, Pie-
 tate & Constantiâ, Justitiâ & Clementiâ, ex-
 animi FRIDERICO WILHELMO com-
 pares, qvi supremum beatitatis apicem edet
 F 3 ade-**

adeptus, qvòd *Deo charus & bonorum nemini invi-*
sus hâc mundi fabulâ exierit.

Augustus Imperator, morti proximus
 vocatos ad se amicos interrogâsse fertur,
Numquid suam personam in hâc vitæ Comœdiâ bene e-
gisset? Cumqve ipsi, optimè, respondissent, sub-
 junxit: *Ergo plausum date.* Tu Augusto melior,
 Trajano probior, Tito amantior, inter thronos & dominationes, inter principatus &
 potestates nunc constitute coeli Princeps,
 non opus habes, ut ex nobis qværas, *quomodo*
vitæ Tuæ Comœdiam, qvæ nobis facta est Tra-
 gœdia, *transfigeris*, cùm post Te, ceu post Eli-
 am Elifæus, maximi, parvi, minimi, ô Pater!
 Pater! clamitent. *Ergo Comœdiâ hâc à Te*
 tam bene actâ, *jam plausum damus manibus*, qvæ
 pectora percutiunt; *oculis* qui largas stillant
 lacrymas: *corde*; qvod profundos edit ge-
 mitus.

Et cùm non aliâ re, qvàm serâ deprædica-
 tione, Tua in nos cumulatim effusa benefi-
 cia referre posse videamur, sanctè promitti-
 mus, diem, qui nobis finiet vitam, Tuam.
 qvoqve apud nos terminaturum esse memo-
 riam. Ecce! hæc nostra parva Meinunga,
 Tuæ Celsitudini hactenus subiecta humili-
 mè, sub Tuarum tegmine alarum latitans,
 singularem Tuam Gratiam multoties exper-
 ta, Serenissimum Tuum Nomen, qvan-
 tum

tum in se est, in hac oblivionis terrâ', memori sub corde etiam apud alios reconditura, seqvens Tuæ Clementiæ & Gratiæ, suæ verò humilitatis ac observantiæ & debitæ gratitudinis MONUMENTUM erigit:

FRIDERICUS WILHELMUS II.

EX
ANTIQUISSIMA SAXONUM PROSAPIA

PATRE

EJUSDEM FAMÆ ET NOMINIS

EJUSDEM ZELI ET PIETATIS

EJUSDEM GLORIÆ ET VIRTUTIS

NATUS POSTHUMUS

E FRATRIBUS SUIS OMNIBUS

UT DAVIDES MINIMUS

TANDEM SUPERSTES FELIX

REGIONUM RECTOR

STIRPIS RADIX

SUBDITORUM PATER

QVOD MORTALE HABUIT

USQVE AD DIEM RESTITUTIONIS OMNIUM

ALtenburgi

DIE XXII. APRIL. ANNO M. DC. LXIX.

DEPOSUIT

ET

DUBIA TRISTI^{QUE} RERUM FACIE

PATER FILIUM UNICUM MINORENNEM

SED

QVOD SOLUM MISERIS RESTAT SOLATIUM

VIRTUTUM PATERNARUM EX ASSE

ÆMULUM

ET

UNAM FILIAM

SED

EXEMPL^O BEATISS. MATRIS MAGNANIMAM


ET HEROICA

PRINCEPS PLURES REGIONES

DOMINUS QVAMPLURIMOS MINISTROS

IN.

INGENTI IN MOERORE RELIQVIT.
 IN COELO
 DUAS CONJUGES
 ET CHRISTIANUM FILIUM
 PIOSQVE PARENTES ET CONSANGVINEOS
 CUM GAUDIO COMPLEXUS.
 VIXIT
 ANNIS LXVI. PER DEI GRATIAM
 QVOS PAUCI ATTIGERUNT
 REGNAVIT
 ANNIS XXX. CUM MAXIMO SUORUM
 COMMODO.
 ITA VIXIT
 UT VIVERE DIVTIVS
 ITA REGNAVIT
 UT REGNARE EVM LONGIVS
 OPTARINT OMNES SVI
 SEMPER BONVS JVXTA SVORVM VOTA
 USQVE AD MORTEM.
 SI PIVM QVÆRIS
 HIC FVIT
 SI FORTEM
 NVLLI CESSIT
 SI CONSTANTE
 IN VTRAQVE FORTVNA PARI STETIT FASTIGIO.
 CONSILIO OPTIMVS
 RELIGIONE CLARVS
 CONJVGIO CONTENTVS
 PROLE BEATVS
 VBIQVE CHARVS.
 NOS
 OMNIBVS REGIONIBVS
 DVCATIBVS
 PROVINCIIS
 NON MELIORES DVCES PRECATI
 NVNC TACEMVS
 ET
 EJVS ACERBA FVNERA
 GEMEBVNDE FLEMVS
Dixi.
 S. D. G. M. M.



Datum der Entleihung bitte:

Dieser Band wurde 1994
durch Bestrahlung sterilisiert.
Verfärbungen sind
ohne Bedeutung.

(204) JG 162/14/79

H.S. 836

